



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XVIII. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Svbdiaconvm. Vt Marcello
victus & vestitus necessaria ministrentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLARVM LIBER I. 175

venire te volumus, vt auctore Deo aggregata Synodo, de ea quæ inter vos vertitur dubietate quod iustum fuerit iudicetur.

EPISTOLA XVII.
GREGORII PAPÆ I.

AD VNIVERSOS EPISCOPOS ITALIÆ.

Vt filii Longobardorum in hæresi Ariana baptizati ad fidem catholicam concilientur.

Gregorius vniuersis episcopis Italiæ.

* Antharith **Q**VONIAM nefandissimus * Autharis in hac, quæ nuper expleta est, paschali solennitate, Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit: pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solennitatem paschalem vltius non videret, vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia vbique grauis mortalitas imminet, eosdem filios suos, in Ariana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini omnipotentis placent. Quos ergo potestis admonete: quanta virtute valeatis, eos ad fidem rectam suadendo rapite: æternam eis vitam sine cessatione prædicate: vt cum ad districti veneritis conspectum iudicis, possitis ex vestra sollicitudine lucrum in vobis ostentare pastoris.

Paul. diac. libro 3. cap. 8. de gestis Long. Ioan. diac. libro 2. cap. 50.

EPISTOLA XVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

Vt Marcello victus & vestitus necessaria ministrentur.

Gregorius Petro subdiacono.

* al. Barolitanæ **I**NSINVTVM nobis est Marcellum * Barubicanæ ecclesiæ, ibidem in Panormitana ciuitate, in monasterio sancti Hadriani, in pœnitentiam deputatum, non solum victus necessitatem pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necesse habemus strenuitati tuæ præfenti iussione præcipere, vt ipsi pro victu & vestimento, fratoque ad continentiam, pueroque eius annonam quan-

Ioan. diac. libro 2. cap. 50.

tum prospexeris satis esse, constituas: vt inopia nuditasque eius tali prouidentia possint habere consultum, & vt ea quæ eidem viro deputaueris, tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac vt & nostram iussionem impleas, & tu quoque hoc ipsum bene disponendo, hac ipsa possis participari mercede. Præterea hoc tibi indagandum mandare curauimus, veteri quæ iam inoleuerat consuetudine postposita, vt si quæ ciuitates in prouincia Sicilia pro peccatis nostris per sacerdotum lapsus a pastoralis regimine vacare noscuntur, de clero ecclesiarum ipsarum, vel ex monasteriis, si qui digni ad sacerdotalem locum possunt inueniri, perspicias: & ad nos inquisita primitus morum grauitate transmittas, vt grex vniuscuiusque loci per pastoris lapsum inueniri non debeat longo tempore destitutus. Si vero vacantia quidem loca repereris, & nullus tali dignitati ex eadem ecclesia congruus inueniatur, ad nos similiter inquisitione solerti renuntia, vt Deus quem dignum talibus ordinationibus iudicauerit valeat prouidere. Non enim oportet vt vnus excessu grex dominicus per prærupta possit sine pastore diffuere. Ita enim & locorum ordinatio proueniet, & reuertendi lapsis ad gradum priorem, quo melius pœniteant, suspicio non manebit.

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD NATALEM EPISCOPVM SALONITANVM.

Præcipit vt Honoratum archidiaconum suo gradui restituat.

Gregorius Natali episcopo Salonitano.

Grat. dist.
74. cap. 2.

GESTA quæ nobis in Concilii vestri confecta secretario direxistis, in quibus archidiaconus Honoratus addicitur, plena esse cognouimus semine iurgiorum, cum vno eodemque tempore vna persona nolens ad sacerdotii ordinem prouehitur, quæ tamquam immerita a diaconatus officio remouetur. Et sicut iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus, ita censendum puto similiter, ne quisquam infons ab ordinis sui ministerio deiiciatur iniuste.